Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

pylatū. ut frangerentur eorū crura: et tollerentur. Venerunt ergo milites:
et primo quidem fregerunt crura. et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad iesum autem
cum venissent. ut viderunt eum iam mortuum non fregerunt eius crura: sed unus
militum lancea latus eius aperuit: et continuo exiuit sanguis et aqua. Et
qui vidit testimonium phibuit: et verum est testimonium eius. Et ille scit quia
verum dicit: ut et vos credatis. Facta sunt enim hec: ut scriptura impleretur.
Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit. Videbunt in quem
transfixerunt. Post hec autem rogauit pylatum ioseph ab arimathia
eo quod esset discipulus iesu. occultus autem propter metum iudeorum: ut tolleret cor
pus iesu. Et permisit pylatus. Venit ergo et tulit corpus iesu. Venit
autem et nichodemus: qui venerat ad iesum nocte primum ferens mixturam
aloes et mirre quasi libras centum. Acceperunt corpus iesu. et ligauerunt
eum linteis cum aromatibus: sicut mos est iudeis sepelire. Erat autem in
loco ubi crucifixus est ortus. et in orto monumentum nouum: in quo nondum
quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen iudeorum. quia iuxta
erat monumentum posuerunt eum. In sabbto sce pasce. sm iohanem

In principio creauit ds celum et terram. Terra autem erat inanis et uacua:
et tenebre super faciem abysmi: et spiritus dni ferebatur super aquas. Dixitque
ds. fiat lux. Et facta est lux. Et uidit ds lucem quod esset bona: et diuisit
lucem a tenebris: appellauitque lucem diem. et tenebras noctem. Factum
que est uespe et mane: dies unus. Dixit quoque ds. Fiat firmamentum
in medio aquarum: et diuidat aquas ab aquis. Et fecit ds firmamentum:
diuisitque aquas que erant sub firmamento ab his que erant super fir
mamentum. Et factum est ita. Vocauitque ds firmamentum celum. Factumque est
uespe et mane: dies secds. Dixit uero ds. Congregentur aque que sub celo
sunt in locum unum: et appareat arida. Et factum est ita. Et uocauit ds aridam
terram: congregationesque aquarum appellauit maria. Et uidit ds esse bo
num. et ait. Germinet terra herbam uirentem et facientem semen: et lignum
pomiferum faciens fructum iuxta genus suum: cui semen in semetipso sit super
terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam uirentem. et afferentem semen
iuxta genus suum: lignumque faciens fructum. et habens unumquodque semen